

DISPUTATIO συνηλκην

XI

collationem instituens

INTER PRINCIPIA
VERITATIS, QUÆ TENET
Ecclesia verè Catholica Augu-
stanæ Confessionis,

ET

*Inter principia veritatis, quæ sectatur PseudoCa-
tholica Romana Ecclesia,*

Ex qua Sole clarius elucet,

Veritatem illibatam & salvificam regnare in Ecclesiis no-
stris:

Veritatem verò ψευδώνυμον seu falsò nominatam dominari in
Ecclesiis Papisticis.

publicè instituta,

die 25. Septembris.

à

JOHANNES HÖPNERO S.S.Th.Lic. &
Profess. ad D.Thom. Archidiacono.

Respondente

M. CHRISTIANO GROSIO Witebergenfi
Sax.



L I P S I Æ,

Typis exscripsit GREGORIUS Nisch. [1626]



*Amplissimis, prudentissimis, integerrimis, ho-
noratissimusq; Viris,*

DN. ERNESTO MOSBACHIO, Ele-
ctoralis Scabinatus Assessori, nec non In-
clytæ Reipub. Lipsicæ Consuli nunc re-
genti dignissimo,

ET

DN. FRIDERICO MEYERO, Hæ-
reditario in Plausig/Scabinatus Electora-
lis Lipsiensis Assessori, nec non Reipub.
ejusdem laudatissimæ Consuli meritissi-
mo.

*Patronis ac compatribus suis reverenter
officioseq; colendis*

*μελέτημα hoc Theologicum in
observantia symbolum*

offert & dedicat

Author & preses.



IN NOMINE JESU.



*Sicut Satanas se in angelum lucis transformare
studet. 2. Cor. 11. v. 14. ita etiam ministri ejus trans-
figurant se in ministros justitiae, & crassissimos er-
rores & mendacia palpabilia pro veritate ven-
ditant.*

*Diligenti igitur examine digna est questio, pro qua parte
stet veritas à xi. d. n. & sincera & sine scoria admixtione: pro
qua veritate Ecclesie Augustanam Confessionem profitentes
hactenus armis spiritualibus masculè cum Deo decertarunt.*

*Quae purà conscientia, recto tramite ac pede inoffenso in-
erueno ac astruendo principio Veritatis hunc progressum ser-
vant.*

CHRISTUS est Veritas. Joh. 14. v. 6. & magister
veritatis unicus. Matth. 23. v. 10. estq; Rex in hoc natus, &
ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhibeat veritati,
Joh. 18. v. 37. ex cujus ore discipuli Christi veritatem discunt,
Johan. 8. v. 31. per quam sanctificationem consequuntur, Joh.
17. vers. 17. quem Deus Pater publicè inauguravit & constituit
Doctorem totius Ecclesie, Matth. 17. vers. 5. Deut. 18. vers. 15.
Act. 3. vers. 22.

Verbum autem Christi est veritas, Scripturis sacris
comprehensum: neq; aliud verbum Christus & Apostoli ore-
tenus predicarunt, aliud in literas retulerunt, sed quae predi-
carunt Apostoli, ea quoq; scripserunt, teste Chrysostomo ex Ire-
neo lib. 3. c. 1. Apostoli, quod tunc praconiaverunt, post-
ea per Dei voluntatem conscripserunt, fundamentum
& columnam fidei nostrae futuram.

6. Hinc D. Johannes scribit in sua Canonica c. 1. v. 3. 4. Quod vidimus & audivimus, id annunciamus vobis, & hæc scribimus vobis. Vide etiam Act. 15. v. 26. 2. Cor. 1. v. 13. 2. Pet. 1. v. 12.
7. Paulus itidem ad Philip. 3. v. 1. scribit: Eadem me scribere non pudet: vobis autem necessarium, Græcè ἀσφαλές, tutum est. Ex his enim scriptis de veritate doctrinæ Apostolicæ certi & securi esse possumus: per scripturas puritatem Evangelii firmitus & certius contra incursiones corruptelarum conservare possumus.
8. Contra Synagogam igitur Antichristi firmiter statuimus, quod Christi verbum εὐαγγέλιον, in scripturis cōprehensum, (verbum enim ἀγέρον non scriptum ceu putidum Papiolarum figmentum explodimus) sit Canon fidei, norma veritatis, exactissima trutina doctrinæ cœlestis, Lydius lapis omnium dogmatum, gnomon veri cultus Deo placentis, regula ac mensura bonorum operum, totiusque Christianismi cynosura, sicut Augustinus l. 19. de civit. Dei cap. 18. scribit: Scriptura ideò dicitur Canonica, quia regulam fidei ac vitæ præscribit.
9. Hoc etiam sine Deus verbum suum revelavit, & in literas referri iussit, Rom. 16. v. 26. ut certa ac constans regula veritatis in Ecclesia extaret. Unde Chrysostomus hom. 13. in 2. Corinth. Sacram scripturam appellat ζυγὸν ἀκριβῆ ἀπάντων καὶ γνώμονα καὶ κανόνα.
10. Notatione dignissima est appellatio Canonis, quâ etiam Paulus utitur ad Galat. 6. v. 16. ὅσοι τῷ κανόνι τῆς τοιαύτης σοιχῆσαι, quicumq; hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia.
11. Dicitur autem propriè κανὼν in trutinis pars illa, quæ in medio librilis lingule instar consistit, & ostendit vel æquilibri-um, vel excessum, vel defectum.
12. Quam metaphoram Augustinus sic evolvit. l. 2. cap. 6. de Baptismo

Baptismo contra Donatistas. Afferamus, inquit, non stateras
dolosas, ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus,
pro arbitrio nostro dicentes, hoc grave, hoc leve est: sed afferamus
divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesau-
ris dominicis, & in illa, quid sit gravius, appendamus,
imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.

Definitur Canon à Varino, quod sit μέτρον ἀδιάψευστον
πᾶσαι ἀπόθεσις καὶ ἀφαίρεσις μηδαμῶς ἰνδεχόμενον, men-
sura infallibilis, quæ quamlibet additionem & detractionem
nullâ ratione admittit. 13.

Talis Canon est scriptura. Ita enim Deus inquit: Deut.
4. v. 2. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec aufe-
retis ex eo. Deut. 12. v. 32. Quod precipio tibi, hoc tantum fa-
cito: nec addas quicquam, nec minuas ex eo. Quæ verba Jo-
hannes in fine sua Apocalypseos repetit, & ostendit, præceptum
hoc de non addendo & detrahendo non de solis scriptis Mosaicis
accipiendum esse, sed de toto codice scripturæ Canonice. Sicut
Tertullianus adversus Hermogenem explicat: Adoro scripturæ
plenitudinem: scriptum esse doceat Hermogenis officina: si non
est scriptum, timeat vae illud adjicientibus aut detrahentibus
destinatum. Sic Augustinus l. 2. contra Crescentium: Canon
Ecclesiasticus constitutus est, ad quem Prophetarum & Apo-
stolorum libri pertinent, secundum quos de cæteris literis vel fi-
delium vel infidelium judicamus. 14.

Hoc DEI verbo nihil est certius ac firmitus, teste
Christo, Luc. 21. v. 33. Cælum & terra transibunt: verba au-
tem mea non transibunt. Esa. 40. v. 8. Verbum Domini manet
in æternum. 15.

Hoc DEI verbo nihil est clarius, nihil dilucidius.
Psal. 19. v. 9. Psal. 119. v. 105. fulgore suo cæcum nostrum intel-
lectum irradiat, & in decisione dogmatum fidei haudquaquam
alieno lumine indiget. 16.

17. Idem Dei verbum est undiquaque perfectissimum, nec peregrino aliquo assumēto indiget, sed omnia ubertim complectitur, quæ ad salutem consequendam necessaria sunt, Psal. 19. v. 8. 9. 2. Tim. 3. v. 16. Prov. 30. v. 5. Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se: ne addas quicquam verbis illius, & arguaris inveniarisq; mendax.
18. Hoc Dei verbum in fide nos reddit *ἀμεταμέτρητος*, immotos, ita ut Paulus magna cum *παρρησία* scribat ad Galat. 1. vers. 8. Licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Augustinus de unitate Ecclesiæ cap. 12. hanc Pauli sententiam repetit: Qui aliud Evangelizat, anathema sit, aut legat mihi hoc in scripturis sanctis, & non sit anathema.
19. Huic verbo CHRISTUS ipse attribuit authoritatem *κείμενον*. Johan. 12. v. 48. & author Epistola ad Hebræos c. 4. v. 12.
20. Hanc normam in negotio religionis ac cultuum Deo placentium Propheta Esaias præscribit Ecclesiæ, Esa. 8. v. 20. & Deus ipse hunc Canonem in genere commendat populo suo, Deut. 4. v. 2. c. 5. v. 32. c. 12. v. ult. in specie obligat Sacerdotes, iudices ac Reges, ut in decisionibus causarum spiritualium & politicarum hanc normam unicè sequantur, Deut. 17. vers. 12. c. 30. v. 10. & seq. Josue 1. v. 7. 8. Deut. 17. v. 18. 19. 20. 4. Reg. 11. v. 12. Malach. 2. v. 7.
21. Christus ipse & Apostoli ejus non tantum auditores suos ad scripturas revocant Matth. 19. v. 4. & sequent. Luc. 16. v. 29. Johan. 5. v. 39. c. 20. v. 31. Act. 2 v. 25. c. 3. v. 22. c. 10. v. 43. c. 13. v. 34. c. 17. v. 2. c. 26. v. 22. 2. Petr. 1. v. 19. sed etiam adversarios ex iisdem erroris convincunt. Matth. 22. v. 31. 43. Act. 4. v. 11. cap. 18. v. 28.
22. Quorum vestigiis institerunt Patres primitivæ Ecclesiæ, Græci & Latini, qui manifestas hæreses, impietates & abusus suorum

suorum temporum solius verbi adminiculo ceu lolium infelix ex agro Ecclesie eradicaerunt, sinceritatemq; fidei ac cultuum Deo placentium beneficio sacra scriptura fidelissimè conservarunt.

Graviter inquit Ambrosius lib. 1. ad Gratianum de fide cap. 4. Nolo argumento credas, sancte Imperator, & nostre interpretationi. Scripturas interrogemus, interrogemus Apostolos, interrogemus Prophetas, interrogemus Christum.

Theodoretus lib. 1. c. 7. recitat sententiam præclaram Constantini Magni, quâ allocutus est Patres Synodi Nicenæ de norma fidei discrepantes sententias foventes: εὐαγγελικῆ καὶ ἀποστολικῆ βιβλοὶ καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θεασίματα σαφῶς ἡμᾶς, ἀ γῆ δὲ τῆ θεῆς φρονεῖν ἐκπαιδεύσσι. τῷ πολέμιον ἔν ἀπελάσαντες ἔειν ἐκ τῶν θεοπνεύτων λόγων λάβωμεν τὸ ζητημένων τῷ λύσον, i. e. Evangelici & Apostolici libri & antiquorum Prophetarum oracula planè instruunt nos, quid de rebus divinis sentiendum sit. Proinde hostili positâ discordiâ ex dictis divinitus inspiratis sumamus questionum explicatio- nes.

Nota est vox Hieronymi in cap. 23. Matth. Quod de scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.

Augustinus verò l. 3. contra Maximin. c. 14. auctoritatem scripturae longè antefert auctoritati Conciliorum: sed nunc, inquit, nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumcunq; propriis, sed utriusq; communibus testibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Sic & Basilius Epist. 80. scribit: divina scriptura nobis iudex esto, & apud utros dogmata invenimus divinis consona literis, his omni pacto suffragium veritatis tribuatur.

Hæc

27. *Hac igitur minimè fallax ratio & certissima via est, scrutari veritatem ex divinis literis, nihilq; fide tenere, nisi quod ex sacris literis probari & erui possit.*
28. *Hoc firmissimum Ecclesie verae Catholicae propugnaculum est, hoc immotum veritatis Evangelicae principium, & regula infallibilis est omnium Evangelicorum: ἡ δὲ ἐν ἡμῶν γὰρ ὁ Θεός.*
29. *Erubescit sine lege loqui ICTVS: & non erubescat sine scriptura loqui Theologus: imò qui loquitur, loquatur ὡς λόγια Θεοῦ, quasi sermones Dei. 1. Pet. 4. v. 11.*
30. *Proinde, qui fidei suae domunculam & religionis suae veritatem & certitudinem huic normae superstruit: ille rectè consulti honori Dei & propriae suae salutis; firmissimae quippe petrae innititur, & viro sapienti à Christo comparatur. Matth. 7. v. 24. Sicut Irenaeus adversus Valentini & similia scripta interpretatur lib. 2. c. 56. Scripturis divinis niti, certa & indubitata veritas est, in firma & valida petra est domum suam aedificare: hanc verò derelictam, aliis niti quibusdam doctrinis, aut supervacaneis humanarum traditionum fabulis, incertum effusa arena (unde facilis eversio) est ruinam statuere.*
31. *Si desideras antiquitatem, certè veritas in sacris literis contenta omnium est antiquissima, ad quam antiquitatem Deus ipse nos remittit, Jerem. 6. v. 16. Interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris.*
32. *Si desideras auctoritatem, ea prorsus divina est. Deo enim ejusq; dictis simpliciter & absolutè credendum, quia non nisi veritas sunt, juxta dictum Epiphanius l. 3. de Audiano schismat.*
33. *Si desideras efficaciam persuasionis; illa omnem demonstrationem quàm longissimè exsuperat, quippe à Spiritu sancto sacris literis admirabilis virtus est indita, per quam corda nostra illuminat Psal. 19. v. 9. aperit, Act. 16. v. 14. circumcidit,*

cumcidit, Ezech. 36. v. 26. seu renovat, accendit, Luc. 24. v. 32.
compungit, Act. 2. vers. 37. fidem in nobis excitat & confirmat.
Johan. 17. v. 20. Rom. 10. v. 17. Johan. 20. v. ult. 2. Cor. 10. v. 5. &
vivificis consolationibus, & salutaribus doctrinis animos no-
stros replet. Rom. 1. v. 16. c. 15. v. 4. Psal. 19. v. 8. Psal. 119. v. 50.
92. & 143.

Si desideras veritatem, spiritus veritatis, qui est ἀληθία-
λῆθια, testimonium perhibet de scriptura, quod sit θεόπνευστος &
divinitus inspirata. 2. Tim. 3. v. 16. 1. Johan. 5. v. 6. Quomodo
non esset infallibiliter verum, quod à Deo ipso profectum & in-
spiratum est. 34

Idem spiritus internâ suâ persuasionem certos nos reddit,
per quâ scripturam hoc fidei principium in animis nostris obsignat,
ut piaculum ducamus, de veritate divinarum scripturarum
quicquam addubitare. 35.

Si claritatem desideras, scriptura lux est, Psal. 119. v.
105. 2. Pet. 1. v. 19. lucens in loco caliginoso: sicut igitur interna
& essentialis proprietas lucis est, ex se & per se lucere, ut ut lu-
mine cassi id vel negent vel dijudicare nequeant: ita etiam
scriptura per se lucida est, illuminans oculos, Psal. 19. v. 9. & est
αὐτόπιστος & fidem per se meretur: τὸ πιστὸν ἀφ' ἐαυτῆς ἔχει juxta
Nemesium: ἡ τῶν θεῶν λογικῶν διδασκαλία τὸ πιστὸν ἀφ' ἐαυ-
τῆς ἔχει, Ἐὰν τὸ θεόπνευστον εἶναι, doctrina divinarum oraculo-
rum fidem ex se facit, quia est divinitus inspirata: sicut sum-
mum bonum per se est amandum: sic veritas prima per se est
credenda. Hæc veritas prima est os Dei in scriptura loquens,
teste Bonavent. de luminar. Eccl. serm. 12. 36

Si testimonia desideras, ipse Dei sermo sibi testis est: sic
ut Salvianus Episcopus l. 3. de providentia scribit: Humana om-
nia dicta argumentis & testibus egent: Dei autem sermo ipse
sibi testis est: quia necesse est, quicquid incorrupta veritas lo-
quitur, incorruptum sit veritatis testimonium. 37.

B

Et

38. Et sicuti Deus non reliquit se ἀπαρτορον testimonii exper-
tem Act. 14. v. 17. ita verbo suo appendit, veluti sigilla certi-
tudinis divinæ, stupenda miracula, quæ apud omnes rectè
judicantes verbo Dei auctoritatem ἀνορθωτων conciliârunt.
Job. 10. v. 25. 37. 38. Marc. 16. v. ult. Rom. 15. v. 19. ubi Paulus te-
statur, se Evangelium Christi prædicasse in virtute signorum
& prodigiorum.

39. Præterea auctoritatem sacre scripturæ non parùm com-
mendat 1. indubia tot vaticiniorum à sola prædictione
divina dependentiũ manifesto eventu demonstrata ve-
ritas, 2. hujus sacrosancti depositi contra rabiem Sata-
næ & malitiam mundi potentissima conservatio & de-
fensio, 3. constantissimorum martyrum hujus doctrinæ
veritatem suo sanguine obsignantium invicta magna-
nimitas. Heb. 11. v. 35. & seq. Apoc. 6. v. 9. 10. c. 12. v. 11. 4. tra-
gicus exitus Tyrannorum & hæreticorum, qui huic divinæ
veritati sese opposuerunt: & tandem primitivæ Ecclesiæ suf-
fragium & concors testificatio, per cujus manuductionem
ad cognitionem sacrarum literarum aspirare possumus.

40. Quam sequitur Orthodoxa & verè Catholica Ecclesia o-
mnium temporum, quæ est custos fidelissimus sanctè hunc
thesaurum sibi concreditum conservans: præco item dexter-
rimus, πρεσβυτερικὰ πνευματικὰ spiritualia spiritualibus a-
ptans seu comparans 1. Cor. 2. v. 13. exemplar deniq; perfe-
ctissimum, invitans & permovens Paganos unanimi suo con-
sensu, ad credendum iis, quæ in sacris Bibliis comprehensa sunt.

41. Supra recensuimus aliquot dicta veterum: quibus adjun-
gantur sequentia. Hieronymus ad Galat. Spiritus sancti do-
ctrina est, quæ Canonicis literis prodita est, contra quam si quid
statuant concilia, nefas duco. Augustinus contra literas Peti-
liani l. 3. c. 6. Si quis sive de Christo sive de ejus Ecclesia sive de
quacung; alia re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, non
dicam, si nos, sed quod Paulus adjecit, si Angelus de cælo vobis
annun-

annunciaverit, præterquam quod in scripturis legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit.

Cyprianus sermone de Baptismo Christi: Hoc natura, hoc ratio, hoc Domine verbi tui clamat authoritas, hoc ex ore tuo audivimus: hic invenit consummationem omnis religio. Primum est hoc mandatum & ultimum: hoc in libro Vita scriptum, indeficientem & hominibus & angelis exhibet lectionem. Legat hic vivum verbum, & in mandato meditetur Christiana religio, & inveniet ex hac scriptura omnium doctrinarum regulas promanasse, & hinc nasci & huc reverti, quicquid Ecclesiastica continet disciplina.

Athanasius contra Gentes: sufficiunt sanctæ ac divinitus inspiratæ scripturæ ad omnem instructionem veritatis. Basilius magnus de confessione fidei: Manifestum est infidelitatis & arrogantia crimen, vel rejicere aliquid, quod scriptum est, vel addere aliquid, quod scriptum non est, cum Christus dixerit: oves meæ vocem meam audiunt.

Quibus etiam suffragatur Gerson in 1. parte de exam. doctrin. suspecta est, inquit, omnis revelatio, quam non confirmat Lex & Prophetæ cum Evangelio. Et Chrysost. super Matt. homil. 49. scribit: Christianos volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem confugere decet, quã ad Sacrã scripturam.

Hujus consilii memores fuerunt Ecclesiæ Augustanam Confessionem invariata sequentes, quæ timore Dei percussa, conscientia stimulis adacta, & per verbum veritatis convicta gloriam Deo dederunt, secessione factâ, non à Catholica Ecclesia, (quæ superstructa est super fundamentum Apostolorum ac Prophetarũ Eph. 2. v. 20.) sed à Romano-Papistica & Pseudo-Catholica Ecclesia, quæ secundum verba Basili in serm. de fidei confess. per manifestam ἐκπτώσιν elapsionem à fide, & superbia crimē reprobatur & adulterat primarios fidei articulos, in sacris literis traditos, & superinducit peregrinos articulos, qui nullum in scripturis fundamentum habent.

46. *Quæ ut pervertat fidem simplicium, modis omnibus in id incumbit, ut hoc principium veritatis vel è medio tollat, vel in dubium vocet: aliâq; peregrina & falsa principia substituât, quæ nullam fidem gignere possunt, qualia sunt: Ecclesia, traditiones, decreta Papæ.*
- Falsa & peregrina principia Papicolarum,
47. *De quibus paterculi Conciliabuli Tridentini diu multumq; disceptârunt. Quidam contenderunt, fidem Christianam partim sacrâ scripturâ, partim traditione contineri.*
48. *Alij statuerunt, universam doctrinam Catholicam pro fundamento habere traditionem, propterea quod ipsi scripturæ non credatur, nisi propter traditionem.*
49. *Alius, Vincentius Lunellus Franciscanus conclusit, quia scripturæ autoritas pendeat ab autoritate Ecclesiæ, & traditionum nullus esset usus, nisi eâdem Ecclesiæ autoritate niterentur, hoc imprimis fundamentum, cui sine periculo inædificari possit, jaciendum esse, quod omnes Christiani Ecclesiæ credere teneantur: hoc tanquam nobilius firmamentum præferendum esse sacræ scripturæ & traditionibus.*
50. *Eadem est sententia Bellarmini l. 2. de Sacramentis cap. 25. Omnium, inquit, conciliorum veterum & omnium dogmatum firmitas pendet ab auctoritate præsentis Ecclesiæ.*
51. *Per Ecclesiam verò determinatè intelligit Pontificem cum Concilio: cum verò Concilium non semper sit congregatum, vel si Concilium Papæ contrarium fuerit, ne destituatur Papa auctoritate summi Judicis, statuit Bellarminus lib. 2. de Concil. c. 17. Summum Pontificem absolutè esse supra Concilium: ideoq; ex sententia Papicolarum omnium dogmatum, etiam ipsarum scripturarum firmitas pendet ab autoritate Papæ.*
52. *Lubet hoc loco principia ista veritatis Papisticæ paucis examinare.*
53. *Ecclesia veritatis principium esse nequit. Ecclesia enim*

enim respectu verbi divini habet sese ut principiatum quid-
dam: Est enim domus Dei 1. Tim. 3. v. 15. superedificata super
fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Eph. 2. v. 20. A-
poc. 21. v. 14. Sicut igitur domus non est fundamentum,
sui ipsius: sic Ecclesia fundamentum & principium do-
ctrinae caelestis esse nequit.

Etenim Ecclesia est coetus credentium, qui amplectuntur
& profitentur veritatem in verbo Dei patefactam, & est mul-
tudo ovicularum Christi audientium vocem ejus. Joban. 10.
vers. 27.

Præterea principium veritatis ab omni errore alie-
nissimum sit oportet: Ecclesia verò visibilis erroris expers
non est. Sanè quatenus & quandiu sequitur vocem Christi
sponsi & Pastoris sui, minimè errat: quando verò vocem alieni
sequitur, procul dubio gravissimè peccat.

Protoplastæ miserrimè decepti à Satana 2. Cor. 11. v. 3.
errarunt utiq; , & tota progenies Caanitica ante diluvium
in Idololatriam prolapsa est. Ecclesia Israelitica sub Mose &
Aarone in fœdam Moscholatriam incidit. Exo. 32. Azarias va-
ticipatur 2. Paralip. 15. v. 3. Transibunt multi dies in Israel
absq; Deo vero & absq; sacerdote, absq; doctore, & absq; lege.
Synagoga Judaica horribiliter erravit per depravationem
legis & Evangelii, per abnegationem, rejectionem, condemna-
tionem & crucifixionem proprii sui Messiae, nec non per crude-
lem persecutionem Apostolorum & Christianorum deniq; per
blasphemationem Evangelicæ prædicationis.

Ecclesiam Novi Test. quod attinet, constat ex Paulinis E-
pistolis, in Ecclesiam Corinthiacam ab ipso Apostolo plan-
tatam tetros errores esse inductos, contra articulos de cœna Do-
mini & de resurrectione mortuorum. In Ecclesiam Galata-
rum irrepit hæresis Pseudo-Apostolorum articulum justifica-
tionis adulterantium.

58. Ergò frustra Christus hortatur Apostolos & omnes Christianos, ut caveant sibi à Pseudoprophetis, Matth. 7. v. 15. Si Ecclesia absolutè & simpliciter errare nequit: frustra Paulus metuit Corinthiis, ne degenerent à simplicitate, quæ est in Christo. 2. Cor. 11. v. 3.

59. Quin de electis testatur ipsa veritas, quod in errorem prolabi possint, licet non perseverent in errore. Mat. 24. v. 24.

60. Certè si singuli fideles, quando verbum Christi negligunt, errare possunt, quidni Ecclesia qualibet particularis collecta ex fidelibus errare queat, si deserat sermonem Christi?

61. Cumque peccatorum & errorum eadem sit ratio, qui sit, ut in hac corruptione natura nostra & imperfectione renovationis peccata gravissima in Ecclesia inveniri possint, (quod concedunt Papicola) & tamen errores in ea locum invenire baud possint?

62. Contraria non solum sacra scriptura ostendit, sed exempla quamplurimarum Ecclesiarum florentissimarum in Orientali & Occidentali plaga nimis manifestè evincunt.

63. Prorsus intolerabilis est audacia pariter & impudentia Romano-Papistica Ecclesie, qua jactitat se ab omni errore prorsus immunem esse.

64. Sed vanissimam esse jactantiam & insanam gloriationem abundè docèt errores & abusus manifestissimi, quos Conciliabulum Tridentinum summà impietate propugnavit: testantur multi gravissimi scriptores Pontificii, qui Romam vocant errorum scholam, templum hæreseos, populum Christi adversarium, sub Christi vexillo rebellantem Christo, & militantem Satanæ: ostendit collatio articulorum fidei, quos tam acriter defensat Romanensis Synagoga cum luce sacrarum literarum, ex qua collatione evidentissimè apparet, Pseudo-Catholicam Romanam Ecclesiam quàm distantiissimè à sinceritate fidei recessisse.

Non

Non diffidentur Papicola, quod concilia errare possint, & 65.
sepe numero errarint gravissime: nec enim probant ea, que
non sunt ad eorum salutem, licet veritati consentanea sint, &
olim in Conciliis determinata fuerint. e. g. In Concilio
Chalcedonensi sancitum est, Episcopum Constantinopoli-
tanum *τὸν ἐκ τῆς πρώτης καθέδρας* habere debere cum Episcopo
Romano: qui hodie sic statueret, proclamaretur à Romanensi-
bus hereticus. In Synodo Carthaginensi tertia decretum
est: Prima sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum
vel summus Sacerdos aut aliquid aliud hujusmodi, sed tantum
prima sedis Episcopus. Universalis autem nec etiam Romanus
Pontifex appelletur. Hunc canonem non observant. Ita Con-
cilium Constantiense decrevit, Concilia esse supra Papam,
quod hodie Papa assentatores & mancipia *ἀσπιδίως* infician-
tur. Sic Bellarmin. l. 1. de conciliis c. 6. aliquot generalia Con-
cilia enumerat, quæ gravissimos errores propugnarunt. Quod
si autem Concilia, quæ repræsentant Ecclesiam, errare
possunt: quomodo Ecclesia ab errore immunis esse
potest, si verbum Christi postponat?

Papa Adrianus VI. in Conciliis Norinbergensibus Anno 1523. ingenuè fatetur de Romana Ecclesia: scimus, inquit, in
66.
hac sancta sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse,
abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia de-
nique in perversum mutata. Nec mirum, si aegritudo à ca-
pite in membra, à summis Pontificibus in alios inferiores Pre-
latos descenderit. Iterum inquit: Quanquam nemo mirari de-
bet, si non statim omnia errata & abusus omnes per nos emen-
datos viderit. In veteratus nimium morbus est, nec simplex,
sed varius & multiplex, pedetentim in ejus cura proceden-
dum est, & prius gravioribus magisq; periculosis occurrendum,
ne omnia pariter reformari volentes, omnia perturbemus.
Hanc vocem pedetentim Lutherus ita esse intelligendam scri-
bit in scholiis super hanc actionem, ut centum millia annorum
inter singulos pedes aut passus intercedant.

67.

Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis in Concilio Constantiensi palam confessus est: Ecclesiam Romanam longo jam tempore multipliciter fuisse deformatam, indignisq; & nunc maximè indigere, ut in fide & moribus reformetur. Caspander artic. 3. fatetur, quod presens Ecclesia non parùm in morum & disciplina integritate, quin etiam in doctrina sinceritate ab antiqua illa, unde orta & derivata est, dissideat. Quod etiam fatetur Nicolaus Florentinus: Romana, inquit, Ecclesia nequaquam secundum Christianæ religionis præcepta vivit, sed ea adulterat atq; corrumpit. Wolfius pres. partis 2. lection. memorab.

68.

Ecquis tali Ecclesie magisterium fidei deferat? quid sani expectes à tali Ecclesia, in qua nihil sani à planta pedis usq; ad verticem capitis reperitur, juxta propriam confessionem Adriani VI. in instructione Legato suo ad Conventum Norinbergensem Anno 1523. datâ.

69.
De Traditionibus.

Pergimus ad traditiones. Est autem vocabulum traditionis $\pi\alpha\rho\lambda\acute{o}\gamma\eta\mu\omicron\nu$. In genere tradere usurpatur pro docere, Exod. 17. v. 14. trade auribus Josue 1. Cor. 11. v. 23. accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Hinc Traditio 1. denotat omnem doctrinam sive scriptam sive ore tenus traditam. 2. Thes. 2. v. 15. 2. significat doctrinam vivâ voce traditam, Matt. 15. v. 2. 3. denotat doctrinam in sacris literis traditam. Act. 6. v. 14. 1. Cor. 15. v. 3. In scriptis Patrum due adhuc significationes hujus vocabuli occurrunt. Prior est, quod per Traditionem Patres intelligunt doctrinam, quæ $\alpha\omega\rho\lambda\epsilon\gamma\acute{\alpha}$ quo ad literam non reperitur in scriptura, sed quo ad rem in scriptura extat: sicut Nazianzenus inquit: Quedam sunt in scriptura, sed non dicuntur: ut nomen Trinitas, $\theta\epsilon\omicron\varsigma\ \sigma\iota\ \omega\iota$, Sacramentum, peccatum originale, Pædobaptismus. Posterior est, quod Patres traditiones etiam appellant ritus Ecclesiasticos & indifferentes ad $\epsilon\upsilon\tau\alpha\acute{\xi}\iota\alpha\nu$ καὶ $\delta\omicron\chi\eta\mu\omicron\sigma\omega\lambda\omicron$ spectantes, 1. Cor. 11. v. 14, ex quibus

bus aliqui ab Apostolis originem traxerunt, de talibus traditionibus testatur Irenaeus apud Euseb. l. 5. c. 20. quod ea, quae Apostoli tradiderint, fuerint ἀπὸ πάντων οὐκ ἔστιν ἄλλο τῶν γεγραμμένων, omnia consona scripturis.

Sed Papiculae longè alias traditiones intelligunt, accusant enim scripturam imperfectionis, & negant, expressè in sacris literis contineri totam doctrinam necessariam sive de fide sive de moribus, & proinde præter verbum Dei scriptum requiri etiam verbum Dei non scriptum. i. e. divinas & Apostolicas traditiones. Bellarm. l. 4. de verbo Dei c. 3. 70.

Has traditiones Papa assuit verbo Dei scripto, & præcipit eas sub anathematis fulmine pari pietatis affectu cum scripto Dei verbo suscipi. Nostræ verò Ecclesiæ hæc traditiones veluti fermentum Papisticum, & normam fidei ἀπὸ ἀληθείας (deceptoriam) averfantur ac rejiciunt ob rationes gravissimas. 71.

1. Sunt enim verbo Dei scripto non tantum contrariæ, Deut. 4. v. 2. c. 12. v. 32. Apoc. ult. v. 18, 19. sed etiam ab eodem diversæ. Gal. 1. v. 8. 72.

2. Christus & Apostoli seriò monent, ut caveamus nobis ab hujusmodi traditionibus. Matth. 15. vers. 6. c. 16. v. 6. Coloss. 2. v. 8. 2. Thess. 2. v. 2. 73.

3. Nequaquam sunt necessariae, cum scriptura sit norma perfectissima fidei ac morum. Job. 20. v. 31. Rom. 15. v. 4. 2. Tim. 3. v. 16. Si ex scriptura perfectam notitiam, consolationem, fidem & salutem haurire possumus, traditiones supervacaneæ sunt. 74.

4. Sunt incerta, & diu incorrupta conservari non potuerunt: probatio talium traditionum quasi ab Apostolis profectarum difficilima, imò prorsus impossibilis est: Papias & Clemens Alexandrinus studiosissimi fuerunt Apostolicarum traditionum: sed ambo in errorem sunt inducti. Nec Papiculae hodiè obser-

observant illas Traditiones, quas Patres, pro Apostolicis vendidârunt.

76.

5. Pleræq; traditiones sunt ὑποβολιμαῖοι, i. e. suppositivæ, idè à Patribus rejiciuntur, sicut Basilius inquit in libro de confessione fidei: *Φανερὰ ἐκ πίστεως πίστεως καὶ ὑπερηφάνιας κατηγορία, ἢ ἀρεθῶν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἴσως ἐγὼ τῶν μὴ γεγραμμένων. Manifestum est infidelitatis & arrogantiae crimen, vel rejicere aliquid, quod scriptum est, vel addere aliquid, quod non est scriptum.*

77.

Irenæus l. 3. adversus hæreses Valentini c. 2. scribit: hæretici, cum ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur scripturarum q. non rectè babeant, neq; sint ex autoritate, & quia variè sint dictæ, & quod nō possit ex illis inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem. Tales hæretici sunt Papicola, quos rectissimè voces lucifugos scripturarum ex Terulliano in libro de resurrectione carnis.

78.

Auferantur chartæ humane, inquit Augustinus in libro de pastoribus c. 14. sonent voces divine. Et in lib. de Unit. Eccles. c. 3. scribit: Non audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed hæc dicit Dominus. Sunt certè libri dominici, quorum authoritati utriq; consentimus, utriq; credimus, utriq; servimus. Ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.

79.

De infal-
libilitate
Papæ.

Ab his principiis depulsi Papicola, tandem ad Romanum suum Vejovem tâquam ad unicum fidei ac veritatis principium confugiunt: de quo Prierias scribit: Pontificem Romanum esse solum supremarum dubitationum resolutivum, & solum esse judicem infallibilem veritatis. Idem docet Bellarminus l. 4. de Romano Pontifice c. 3. ubi multis rationibus probat: Romanum Pontificem, cum totam Ecclesiam docet, in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare posse.

80.

Verùm hos assentatores redarguit Catharinus in cap. 2. ad Galat.

ad Galat. Verum est, inquit, de omnibus Papis, præterquam
de Petro, posse eos errare in fide, & deficere: & alios, qui contra-
rium affirmant, vocat novitios authores, qui pugnent cum
communi sensu Doctorum: Quem tenent Parisienses & omnes
Theologi, qui Concilium supra Papam esse asserunt, ex sessione
4. Concilii Constantiensis, & sessione 18. Concilii Basiliensis,
Gerson in libro de potestate Ecclesiæ, Alphonsus de Castro, Oc-
cam, quin ipse Adrianus VI. Papa in quest. de confirmat. Cujus
sententiæ, utpote infallibili, meritò assurgere deberent nova-
tores isti.

Quos falsè irridet Erasmus in suis annotationibus super
cap. 7. 1. ad Corinth. Si verum est, inquit, quod quidam asseve-
rant, Romanum Pontificem errore judiciali non posse unquam
errare, quid opus generalibus Conciliis? Quid opus in Conciliū
accersere Jureconsultos & Theologos eruditos, si pronuncians
labi non potest? Cur datus est appellationi locus vel ad Syno-
dum, vel ad eundem rectius edoctum? posteaquam semel de
causa pronunciavit Pontifex. Quorsum attinet, tot Acade-
mias in tractandis fidei questionibus distorqueri, cum ex uno
Pontifice, quod verum est, audire liceat?

Sed pugnemus rationibus. Papa Deus non est, cum ergo
homo sit, ab errore immunis esse nequit. Omnis homo mendax,
Psal. 116. v. 11. Esa. 53. v. 6. Rom. 3. v. 4. Ecclesiast. c. 14. v. 1. c. 19.
v. 16. In multis offendimus omnes, inquit Jacobus c. 3. v. 2. Non
vivit homo, qui non peccet, ut sapientissimus Rex Salomon te-
statur 1. Reg. 8. v. Peccati autem & errorum eadem est rece-
ptivitas in homine peccatore & morti obnoxio. Scitè colligit
Antoninus part. 3. summ. tit. 22. c. 7. Papa cum omnia possit,
potest etiam hoc, quod est commune omnibus, scilicet
errare & peccare, juxta illud: omnis homo mendax.

De Episcopis concedit Bellarminus, quod errare possint
sejuncti. l. 2. de concil. c. 2. Papa autem Episcopus esse cupit, imò

C 2

supre.

81.

82.

83.

supremus inter Episcopos. Igitur procul dubio primas inter errantes tenebit.

84. Pontifices Vet. T. errare potuerunt, Heb. 5. v. 2. & errarunt gravissimè, ut liquet ex exemplis Aaronis, Uria & Caiapha: Patriarchis eadem infirmitas adhaesit: quid mirū, si Pontifices quoq. Romani eidem infirmitati subjaceant.

85. Quod manifestissimè probari potest ex Epistolis decretalibus, jure Canonico & ex cautela distinctioni 40. Si Papa: additā: Pontificem judicari non posse, nisi inveniatur de fide devius. Inepta esset haec cautio, si Papa privilegio non errandi praeeditus esset.

86. Quot quæso Papæ errarunt, & in manifestam haeresin inciderunt, Honorius fuit Monothelita: Anastasius fuit Acatianus: de Liberio refert Hieronymus in Chron. quod exilii tædio in haeticam Arianorum pravitatem conversus sit. Zepherinus fuit Montanista: Marcellinus sacrificavit Idolis: Johannes 23. à concilio Constantiensi appellatus fuit Diabolus incarnatus, & ut haesiarcha condemnatus, quod negaverit animæ immortalitatem & resurrectionem carnis. Sic Eugenius IV. cen haeticus à Synodo Basiliensi damnatus fuit.

87. Quot Concilia à Papa adprobata errores haud exiguos defenderunt? qualia fuerunt Concilium 1. NeoCaesariense, Nicenum 1. & 2. Chalcedonense, Toletanum 1, Constantinopolitanum 3. & c.

88. Tandem multi scriptores Pontificii evidentiam veritatis compulsi fatentur ultrò, Papam etiam ut Papam posse esse haeticum, & in decernendo aliquod dubium fidei dogma, haeresin tradere posse, cujus sententiae assertores allegat Bellarm. l. 4. de Pontif. Rom. c. 2. Nilum Archiepiscopum Thessalonicensem in suo libro adversus primatum Papæ, Gersonem & Almainum in libris de potestate Ecclesie, Alphonsum de Castro l. 1. c. 2. contra haereses & Adrianum VI. Papam in questione de confirmatione.

tione. Si Papæ infallibilitas recto stat talo; non erravit Papa
Adrianus V I. statuendo, Pontifices errare posse.

De hac sententia infallibilitatem Papæ negante pronun-
ciat Bellarminus dicto loco: quod non sit heretica: nam adhuc
videmus ab Ecclesia tolerari, qui illam sententiam sequuntur.
Et Stapletonus affirmat quæst. 4. conclus. 3. Non esse de fide cer-
tum, eò quod contrarium opinari, saltem quod possibile, non vi-
deatur hereticum esse propter multos Catholicos, qui contra-
rium sustinuerunt.

Si igitur adhuc incertum est apud Papicolas, an Papa ut
Papa errare possit: si tolerantur illi, qui infallibilitatem Papæ
impugnant & negant, nec habentur pro hereticis, modò in re-
liquis articulis cum Romanensibus fatiant: si nihil certi ad-
huc de infallibilitate Papæ definitum est, tanquam de fi-
de tenendum: Quali quæso fundamento superstructa est
religio Papistica?

Cauteritate certè conscientie indicium est, quod assenta-
tores Papæ Bellarminus, Stapletonus, & alii concedere cogun-
tur, Papam posse errare errore personali & privato, in re, que
non sit fidei, in factis particulari, in sententia ab Ecclesia non-
dum definita, in mediis, non tamen in conclusione: sed non erro-
re iudiciario & definiendo ex cathedra.

Nos potius invertimus, & concludimus, si Papa tot modis
in factis particularibus errare potest: quantò magis errare po-
terit in condendis fidei decretis? Frustrà provocant ad perpe-
tuam & infallibilem assistentiam Spiritus sancti, quã probare
ex scriptura nequeunt. Et si Spiritus sanctus Papam in causa
fidei non permittit errare, qui sit, quod sinit ipsum errare in
longè levioribus & facilioribus.

Scriptura testatur è contrario, summos Pontifices in-
V. T. etiam errore iudiciali errasse, quod contigit Aaroni
μορολατρείαν approbanti, Exod. 32. v. 21. Uriæ aram Idolola-
tricam

*tricam erigenti 2. Reg. 16. v. 11. Nonne Caiphas ex cathedra defini-
 niebat, cum Christum innocentem ad mortem condemnaret?
 Nonne Ananias sedens in Cathedra Mosis in actu judiciali ju-
 bebat Paulum Apostolum percutere contra Legem? Act. 23. v. 3.
 Idem evenire potest Papa Romano, imò evenit sæpissimè. Sic
 Sabinianus libros Gregorii I. antecessoris sui comburendos præ-
 cepit. Omnia acta Formosi, in quibus multa de fide contineban-
 tur, damnavit Stephanus VI. Hujus acta Johānes IX. damna-
 vit. Johannis IX. acta Sergius III. teste Platina damnavit. Isti
 Pontifices ex cathedra pronuntiârunt, suosq; antecessores er-
 rore judiciali errasse publicè testati sunt.*

94. *Quandoquidem igitur Papa Romanus tam judiciali
 quàm personali errori obnoxius est, hoc est, errare potest
 non tantum errore personali, ut Doctor privatus, sed etiam er-
 rore judiciali, ut Pontifex: Viderint Papicole, cui & quali
 principio innitatur eorum religio: excutiant Jus Canonicum,
 & numerent errores Pontificum, quos è Cathedra defini-verunt.*

95. *Sed manum de tabula. Christiana prudentia instituat
 σύγκριση inter principia veritatis, quæ tenent Ecclesiæ Augu-
 stana Confessione addictæ, & quæ sectantur Romanenses, ut
 appareat, quid distent æra lupinis.*

96. *Principium fidei ac veritatis salvificæ sit certum, in-
 fallibile, ἀσφαλές, tutum, ac firmum, divinum & non hu-
 manum, sit ἀναπόδεικτον indemonstrabile, suppeditans no-
 bis ἀποδείξεις πνευματικῆς demonstrationes spirituales, sit-
 que veritas prima, ad quam ultimò datur provocatio,
 quæ ad probationem sui nullo alio indiget priore prin-
 cipio, sitque ἀπόρριπτον, cui per se fides adhibetur, quodq;
 aliis omnibus inde conclusis fidem conciliat.*

97. *Tale principium est sacra scriptura, est certa ac infal-
 libilis, ἀσφαλής, tuta ac firma: ἀναπόδεικτον, suppeditans no-
 bis ἀποδείξεις πνευματικῆς: 1. Cor. 2. vers. 2. quas Paulus in suis
 concionibus*

concionibus ac disputationibus protulit. Act. 17. v. 2. 11. c. 26. v. 22. estq; divina & Epistola omnipotentis Dei, & fidem per se gignit, & est veritas prima: ad quam ultimo datur provocatio, nec indiget alio priori principio, quæq; omnibus ex ea legitime conclusis fidem & auctoritatem divinam conciliat.

Sed & ad hæc Papistica contrario modo habent: recte igitur consulunt suæ salutis, & gloriam Dei unice promovent, qui missis istis adulterinis principiis fidei suæ principium & salutis suæ fundamentum in una & sola sacra scriptura quaerunt & constituunt.

Quod nec ipse Bellarminus improbare potest, sed vi veritatis adactus expressè statuit, lib. 1. de verbo Dei c. 2. Cum sacra scriptura regula credendi certissima tutissimaque sit, sanus profectò non erit, qui eam neglectâ Spiritus interni (nos contra Papicolas addimus, seu alterius cujusdam adulterini principii, sive Ecclesie, sive Patrum, sive Conciliorum, sive traditionum, sive decretorum Papæ) sæpè fallacis & semper incerti iudicio se commiserit. Quicquid enim sacra scriptura continet, id necessariò verum ac credendum est: & quicquid sacra scriptura repugnat, id necessariò falsum & repudiandum est, ut idem scribit l. 4. de verbo Dei c. 12.

Licet ibidem sophisticetur, inquiens, scripturam non esse regulam fidei totalem, sed partialem, nos tamen malumus certissimam tutissimamque regulam credendi sequi, & ex scriptura $\Phi\sigma\omicron\upsilon\epsilon\upsilon\ \epsilon\iota\varsigma\ \tau\epsilon\ \sigma\omega\ \Phi\sigma\omicron\upsilon\epsilon\upsilon$ sapere ad sobrietatē, quàm nisi falsis & incertis principiis, & $\upsilon\pi\epsilon\gamma\ \Phi\sigma\omicron\upsilon\epsilon\upsilon\ \pi\alpha\pi' \omicron\ \delta\epsilon\iota\ \Phi\sigma\omicron\upsilon\epsilon\upsilon$ plus sapere, quàm oportet sapere. Rom. 12. v. 3.

Imò malumus totaliter soli scripturæ credere, quàm cum Pseudo-Catholicis partialiter scripturæ, partialiter traditionibus credendo totaliter cum illis à fide Catholica aberrare.

Præsertim cum multis argumentis probet Bellarminus l. 1. de verbo


de verbo Dei c. 2. In sacris scripturis certò contineri ipsum
immediatum & infallibile Dei verbum.

103. *Firmiter ergò teneamus hoc immotum ac divinum prin-
cipium: relinquamus falsis Prophetis somnia sua, & Papicolis
forum scrutarium humanarum traditionum. Jerem. 23.
v. 28. Coloss. 2. v. 8. loquamur sermonem Dei verè, juxta ad-
monitionem Petri 1. Epist. 4. v. 11. Si quis loquitur, loquatur
ὡς λόγια Θεῶν ut eloquia Dei.*

104. *In Ep. 2. c. 1. non sine causa rejicit μύθους σοφοῦ μένους
arte compositas fabulas, quibus haud immeritò traditiones an-
numeramus, & jubet nos προσέχον studiosè attendere firmis-
simo sermone Prophetico quasi lucernæ lucenti in caligino-
so loco.*

Oremus cum Davide ex Psal. 119. v. 105. Lucerna pe-
dibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis: & cum
Christo ex Johan. cap. 17. v. 17. Sanctifica eos in veritate
tua: Sermo tuus veritas est.

Μόνω τῷ Θεῷ δόξα.



B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

Centimetres

ATIO συγκελιων
nem instituens

PRINCIPIA

, QUÆ TENET

Catholica Augu-
Confessionis,

ET

*tis, qua sectatur PseudoCa-
omana Ecclesia,*

le clarius elucet,

lvificam regnare in Ecclesiis no-

seu falso nominatam dominari in

cè instituta

Septembris.

à


SPNERO S.S.Th.Lic. &

Thom. Archidiacono.

pondente

D GROSIO Witebergenfi

Sax.



PS I Æ,

GREGORIUS Nibsch.

[1626]